

230

**DIVÆ  
CATHARINÆ  
PHILOSOPHORUM MAGISTRÆ,  
AC PATRONÆ  
ICONISMUS**

Publicæ Venerationi,

*In Anniversaria Solennitate*

Coram Senatu, Populôque Academico Cæsareæ, Regiæque  
Universitatis Carolo Ferdinandæ Pragensis,  
expositus:

**IN BASILICA SALVATORIS**

Collegij Cæsarei, & Academici Soc: JESU ad S. Clementem;  
SUB RECTORATU

*Per illustres, Generosi, Clarissimi, & Consultissimi  
Viri, Domini*

**JOANNIS HENRICI EQUITIS DE**

**TURBA, J. U. Doctoris, Sac: Cæl: Reg. Majest. Consiliarij,**

Sacrorum Canonum Professoris Regij, & Ordinarij, Clarissimæ Facultatis Juridicæ Senioris, Venerabilis Archi-Episcopalis Consistorij Pragensis Assessoris, in In-clyto Bohemæ Regno Regij Fiscij Adjuncti, & Advocati Jurati; Sacri Meliten-sis Ordinis, S. Joannis Hierosolymitani, Prioratûs Bohemici Cancellarij,

nec non Universitatis Carolo-Ferdinandæ Pragensis p. t.

RECTORIS MAGNIFICI.

*Per Prænobilem, ac Eruditum Dominum*

**ANTONIUM HEINES, Bohemum Rakonicensem, AA.**

LL & Phil: Baccal: Metaph: & Ethices Auditorem, ex Convictu S. Bartholomæi.

*Anno 1701. Mense die*

PRAGÆ, Typis Universitatis Carolo Ferdin: in Collegio Societatis JESU  
ad S. Clementem 1701.

SUB AUSPICIIS  
ILLUSTRISSIMI

AC

REVERENDISSIMI  
DOMINI DOMINI  
IAROSLAI  
FRANCISCI  
IGNATII

SAC: ROM: IMP: COMITIS

A

STERNBERG,  
DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ

EPISCOPI  
LITOMERICENSIS,

ET

CANONICI PASSAVIENSIS,

DOMINI DOMINI

GRATIOSISSIMI.

ILLUSTRISSIME  
<sup>AC</sup>  
REVERENDISSIME  
DOMINE DOMINE  
COMES,  
<sup>ET</sup>  
EPISCOPE.



*T*am amicus non sum pictor, & hospes  
in arte Apellis, ut pro Imagine lu-  
cem, colorum informium animam  
necessariam esse ignorem. Squalet  
enim, & velut funeratur universus  
colorum vigor, nisi Sol, aut vicarij Solis cerei, presen-  
ti luce, informem tabellam venustent. Ipsi Planetarum  
Principi in imagine depicto, sine luce adeo parum sua  
constat majestas, & splendor, ut etiam in obryzo, citra  
lunaris opacitatis interpositum, ignobiliter eclipsetur.  
Nimiru Imagines, picturate lucis filie, luce vivunt, op-  
primuntur tenebris; nec hostilius aliquid iconoclastes  
tyran-

*tyrannus in illas meditari potest, quàm si ad umbras damnatis, meridie interdicit.*


*Perspicias, ut opinor, Illustrissime ac Reverendissime Mecenas, quid Imago mea Reverendissimis manibus sese ingerens inter vota præstoletur: lucem scilicet expectat à stella tua Gentilitia, favorem à Te, ut utroque hoc munere à tenebris vindicata in diem prodire publicum mereatur.*

*Si stellarum ille est genius, ut aprico declinato, umbris delectentur nocturnis, habet Illustrissima Stella tua umbras pedisequas in me, habet in iconismo, cui ignorantia mea, plus nimio tam de umbris, quàm de tenebris inspersit. At ipse hæc tenebra mea, in lucis tue laborabunt incrementum; cum contrario oppositu, quò plus fuit in me noctis, & umbra, eò amplius in Te inextingvibilis redundabit gloria, quòd tantam caliginem luce tuâ Illustrissimâ, & volueris illustrare, & potueris refringere: Cui ego velut umbra accido*

**Illustrissimæ, & Reverendissimæ  
Gratiæ Tuæ**

*Obstrictissimus Servus*

**Antonius Heines**



# ORATIO.

**L**Tâne verò omnem Catharinæ hono-  
ris apparatus, tammodicâ circumscri-  
betis periodo, ut præter unam Parthe-  
no Martyris vestræ imaginem, ab Ora-  
tore desideretis nihil, in annum amoris,  
debitæque observantiæ tributum? Ci-  
ceronem me fore credidi, artificii dictionis calamistro, am-  
plissima Virginis decora, pro rostris expositurum; Apel-  
lem me factis, eripitis me mihi; penicillum pro penna,  
colorem pro sepia, tabellam pro charta, Pictorem denique  
substituitis pro Oratore. Si amoris & reverentiæ clientel-  
laris in Catharinam, argumentum à me exigere placuit, Se-  
natus P. A. vel alteri, vel aliud imperandum fuerat amori  
cæco, quàm ut de coloribus agitare discursum, non absque  
discrimine hallucinandi. Etiam oculos Alexandros, co-  
lorem imperitiùs, quàm arma tractantes, Tyronum ca-  
chiinus castigat; quidni reformidem, nè in Alexandrina  
Virgine depingenda evadam Alexander Magnus errore?  
Alexandrina si est Parthenia Martyr vestra Catharina, cum  
Alexandro, ab alio depingi non debet, quàm Apelle,  
dum pingenda est; à nemine effigiari convenit, quàm Ly-  
sippo, dum sculpenda.

*Plin. l. 35.*

*c. 10*

*Ibidem.*

A

Et

Et me quidem, vix in arte Tyronem, tam acris pingendi libido non tenet, ut quovis quæsitò colore, rudes manus tabellæ admoveam: malo Parrhasij lintea, aut Zeuxidis uvas, silentio venerari, quàm imitari. Verùm si vestram in colores propensionem penitius intueor, ex observantiæ legibus omnimodè id velle debeo, quod nè vellem antè, mea mihi ignorantia imperavit. Facultatibus singulis colores in amoribus esse conspicio: Philosophia, etiam ibi colorem quærit, ubi color non est, in iride; Medicina, primam valetudinis vestigium legit ex colore, in facie; Juridica, si alia desint, Titulos etiam coloratos apprehendit, in causâ; Theologia coloris usque ad miraculum tenax est, in Eucharistia. Amor hic colorum illud agit, ut plus desiderijs vestris picturam aventibus, quam genio meo eandem averfanti deferam, velimque Vos incultiori penicillo offendere, nè offendam. Dedit olim Divinior Apelles prototypam Catharinæ iconem, coloribus oleo sinaitico subactis, scitissimè depictam; ego colore aqueo, utpote in flumine Eloquentiæ temperato, daturus sum ectypam Virginis effigiem: felicem me! si quod Apelli quondam in Cypride obvenisse meminimus, imperfecta etiam imago annuentem reperiât spectatorem.

*Plin. loc.  
cit.*

Tu imprimis picturatum hoc opus meum, luce tuâ, ceu colorum animâ, gratiosè illustra, Perillustris, Magnifice Domine Rector; tum Vos majora Universitatis lumina, spectabiles Decani, Eximij, Clarissimi, Excellentissimi, Doctissimique Professores, adjungite splendorem. Quod si Oratorium Pictorem laborare videritis humili, tritaque Eloquentiâ, nè succensueritis; benignari, etiam oratorios, uti cæteros colores, non valere, nisi tritos.

Felix Pictorum labor, nec caduceo indigna dexteritas est, innatum illud colorum diffidium in eam fœdera-

re concordiam, ut atroci candor, cyaneo rubor, in ejusdem tabellæ corpore pacificus convivat. Licet ad viros conspectum irâ hæreditariâ excandescat purpurissum, Apellæa tamen dexterâ mitigatum, fororijs tandem coloribus acquiescit. Itâ naturæ leges, & fædera præscribit. Pictura. At seipsam & naturam pæne superat prodigiosa machinatrix, dum coloribus suis, felicius quam luto Prometheus vitam & actiones itâ inspirat, ut sine anima vivant, sine vita animentur. Vide prodigium. Uvas illa cum Zeuxide in calathisco depictas spectatum exponit; volucres involant: Pisces artificio colorum temperamento scitissimè effigiat; *adde aquam, natabunt*: Catellam labore exprimit vivæ alteri opponendam; dubites, quæ vivat: *aut utramque putabis esse veram, aut utramque putabis esse pictam.* Ludicra hæc sunt; majora audeat. Novos illa Hannibales effractis alpium claustris in Italiam effundit, instruit aciem in una Roma Orbem expugnatu-ram, multiplicem mortem sine morte, ad Cannas felicissimâ imitatione reproducit. Videas ibi natantes in morte oculos, prostrata contis cadavera, tabum vulneribus defluum, ipsas pæne voces audias è victore Pænorum Exercitu, quantumlibet picto, allabentes. Fac, age, ostentahodiernæ Romæ tabellam, picturatâ hac acie formidandam; iterum Hannibalem in portis hædere vociferabitur populus, nisi moneas, veram illi adesse securitatem, qui ficta timuerat. Itaque vividus ille affectus, princeps picturæ portio, & velut anima colorum est, quâ sine pictura universa, ut ut oculis amænè blandiens, speciosum est cadaver. Vivunt colores alienâ vitâ, tantoque creduntur verius vivere, quò fallacius vitam ementiuntur. Jam verò si colorum vita est vigor ille actionum; quis ad amussim expictam neget Catharinæam iconem, quæ vividis a-

*Plin. l. 35.  
c. 10.*

*Mart. l. 3.  
Epigr.*

*Mart. l. 1.  
Epigr.*

nimi affectibus plurimum spirat de vita, minimum de e-  
ruffa? Aspice quinquaginta Sophorum, id est, veterana  
experientiæ pugilum, scientiâ magis, quàm numero metu-  
endum Exercitum; ab hoc Roma suis rostris timere po-  
tuisset, Græcia Athenis, non timet Catharina: in arenam  
animosa descendit, pro Numinis unitate fortiter decertat,  
quæ sita solvit data, dat non solvenda, confundit Philoso-  
phos, ac devincit, nullâ ægide, sed solo Divino Spiritu de  
Cælo armata. Animata dicere debui: neque enim icon-  
nem arma, sed anima ornat, quæ per colores omnes, velut  
per membra propè vitaliter diffusa, invidere facit Specta-  
torem, quòd & colores in viventibus numerentur. Quis  
hic memoret, quæ Catharinæ fuerit vivida virtus in ago-  
ne, quis Spiritus in tormentis, verbo, quæ vita in morte!  
vividissimis enim verò coloribus animata, tum fuit icon  
Catharinæ, quando cruoris proprii purpurisso rubuit, &  
parthenij Lactis innocenti eluvie candicavit.

*Plin. l. 15.  
e. 10.*

Miretur, per me licet, antiquitas artificem Apellis peni-  
cillum, ita colores animantem, ut Alexandri, id est, secun-  
di Jovis dextera è tabula, fulmen è dextera promicare vi-  
deretur, vividam Catharinæ imaginem ut affirmes, videre  
sufficit: intuere Martyrem, & amabis; aspice rotas, &  
formidabis. Ipsa non parùm mirata est Infidelitas, eum  
in Catharina vigorem, quòd Virgo viris, mulier tyranno,  
tenera tortori auderet concertare; & ampliùs, cum cæte-  
ra iconis, tum artificē lineam ultimā mortis, miratura erat; si  
oculos nostros habuisset. Cæterum amusa contempla-  
trix superficiæ, perstringi debuit insigniori rotæ conquaf-  
fatæ prodigio, ut in cognitionem, quantum de vita Catha-  
rinæ insit imagini, vel confractis rotis proveheretur.  
nec sefellit successus: portentosa disilientis machinæ rui-  
na, & vertiginosam Tyranni impietatem in rotam egit,  
fre-



fregitque ; & Catharinæ iconi, optato fænore, vitam fervavit, vel adauxit. Profuit iterum indignatio imagini, non ad Protogenæi canis spumam fortuitò, sed ad vividos Catharinæ animos destinatò exprimendos.

*Plin. loc.  
cit.*

Unahæc, sed non sola Partheniæ iconis gloria est: actionum vigore imitari viventes; suppar primæ est artifex illa tam discordium membrorum concordia, Symmetriæ innixa. Capiti gigantæo humeros bipalmes subnectere, picturæ delirium est; vertici pectus, pectori manus, manibus pedes, reliquùmque membrorum vulgus conformare, artificium.

Monstrum daturus es, non miraculum, etiam in Helena, si proportione sublatâ, Junonio vultui, Pyracmonis armos sociâris. Licebit etiam futuri ultra crepidam, censurâ assurgere, si difformitatem, quam damnat in Cothurnis, reperiat in oculis. Quare, si vivida actionum, affectionumque imitatio colorum est anima, symmetria confusam membrorum omnium Republicam ad amussim digerens, animæ anima non immeritò est dicenda. Per illam, iconis corpus, vario colorum positu velut organizatum spirat; Philosophiâ obstupescente, sinè animarum successione, solo artis successu, imagini vitam momento inspirari.

Symmetriam in prototypa Catharinæ imagine requiritis? removeo cortinam. Superi! quàm rara proportio! quàm sincerus membrorum consensus! Stupefco in illa illibati puritatem cordis, respondet eidem parthenia integritas corporis; admiror expeditæ intelligentiam mentis, connexa est interpret facundia oris; affectionum turmam ad rationis præscriptum Pietas componit interiùs, corporis motus ad decori mensuram modestia conformat exteriùs.

nus, verbo dicam: formosissimæ Virginis animæ, non  
dispar corpus Divinior adjunxit Apelles.

Ad oculum demonstrarem assertum, si, à forma ar-  
gumentando, expingerem vivum illud ebur in fronte, mo-  
destum rosarum purpurillum in genis, innocuè promicans  
fulgur in oculis, invidendam Pandoræ Majestatem in cor-  
pore; sed rador, imisque duntaxat assuetus penicillus eò  
aspirare non audeat, ubi etiam Protogenes præeligeret age-  
re Spectatorem, quàm pictorem. Unum verò declinans  
miraculum, in alterum defigor, dum formam & Castimo-  
niam, Mulierem & Philosopham, Humilitatem & Scienti-  
am, in Catharina contemperata intueor. Rarò cætero-  
quin reperire est Continentiæ & formæ consortium, Pene-  
lopen Sanctiorem veneramur in Catharina; non semper  
scientiæ cum humilitate bene convenit, fuit humilitas do-  
cta in Catharina; insolitum quid: mulier erudita,  
Virgo Philosopha, nolisset talem reperire Maximinus  
in Catharina. Sed nimirum supremam manum hic impo-  
suit imagini suæ supremus artifex, dum animo corpus, cor-  
pori membra scitissimè admetiens, diversas gratias, velut  
distinctos artus, portentosa illigavit symmetriâ. Respon-  
dent interna externis, corpus animæ, gratia naturæ; nu-  
meris omnibus absolutissimam venerare imaginem, di-  
gnamque cælo judicè, quam triplex laurea, ceu triumphale  
honoris parergon, coronet.

Nolim hic ego, ut possem, in colorum Catharinæ am-  
iconem componentium enœomia dictione excurrere; co-  
lor præcellens ipse sibi suus est orator, sat eloquens, si ele-  
gans; placet, dum videtur; perorat, dum comparet. Co-  
lori colorem addere pro ijs duntaxat oculis necessum est;  
qui nec symmetriæ concordiam, nec actionum vitam æsti-  
mare gnari, solâ picturatæ tabellæ superficie fatiantur. At

oculos academicos adeò indoctos ego esse non censeo, ut in colore præter colorem, nil appreciare noverint; appellatio esse constat, in subtilissima lineamentorum arcana penetrantes aciem, pretiumque iconis vel in umbris legentes. Illos itaque videntes cæcos ad tabellam Catharinæam evoco; est, quod & isti in solo colore admirentur. Liliatum ostendo candorem, quem Catharinæ intemerata affundit Innocentia, quid eò formosius? ruborem profero, quem in Virginum genarum tinctura adhibuit verecundia, quid eò gratius? cyaneum adduco, quem Virgini asperfit cælestium scientia & amor, quid eò sublimius? Denique nigrorem subdo, quo exuberantem colorum Spiritum temperavit Humilitas, quid eò illustrius? Adhuc superat color fluidus e Virginei colli scatebra, Tyranni ferro provocatus, cum purpura candidus, cum candore purpureus, qualem in deciduo rosarum murice, liliorum nivibus amænè insperso intuemur: advertite oculos ad gratissimum, variantis coloris theatrum, ad lac sanguineum, ad sanguinem lacteum; imò verò avertite oculos à scena Doloris; cruor enim virgineus in mortualem migrat pallorem, non in lacteum liquorem. Quod si præficam pupillam ad parentandum Martyri conduxistis, liquetur illa in lacrymarum gemmas, mari mortuo, non colorum, sed Dolorum, patriæ innaturas. Parentalis deinde Dolor eas post Cleopatram dissolvit in liquorem, quo colores Catharinæ iconis non pretiosè minùs, quàm gratiosè subigantur.

At jam manum de tabula remove me jubet rationis imperium, nè, dum cum Zeuxide Pictorum Cunctatore, Catharinæi nominis *æternitati pingo*, pingam æternum. Dedi imaginem ectypam Catharinæ condigno colore neutiquam aspectabilem; utinam quod meum excessit penicillum, *vestra substituat Benevolentia*, & de pictura novi  
Timan-

Plin. l.  
35. C. 10.

Timanthis plus aliquid intelligatur, quàm videatur. Si Timanthis mihi esse non licet vestrà sententiã, ero Protophages meo vaticinio, cum tam tenero penicillo lineamenta Partheniæ Iconis non elaborãrim, ut non sit locus sequenti Apelli, subtiliorem lineam super inducturo. Ego, nè plures umbras, quàm pictoria, patitur obscurã dictione aspergam, laborem termino, illudque, quod imperfecto operi circumspicte Pictorum dextra antiquitùs adnexuit, subscribo imagini: non pinxi, sed pingebam, non dixi, sed DICEBAM.

59

